DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
SCARLATINA.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

SCARLATINA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti:

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

DANIEL THOMPSON,

ANGLUS.

Societ. Reg. Med. Edin. Soc. Extraor.

Ad diem 24. Junii, hor. loc. sol.

Edinburgi.

CUM PRIVILEGIO, APUD ALEX. SMELLIE.

1805.

PATRI OPTIMO,

DANIELI THOMPSON, M. D.

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAT

DISCIPULUS

AC

FILIUS.

AMICO ÆSTIMABILI,

ALEXANDRO SHIREFF, ARMIGERO,

DE LEITH;

VIRO,

OMNI BENEVOLENTIA,

OMNIQUE INGENIO,

PRAEDITO;

HANC DISSERTATIONEM,

SUMMÆ OBSERVANTIÆ

TESTIMONIUM,

OFFERT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

SCARLATINA.

CAUSÆ morborum heu! adeo abundant, et eas evitare adeo incauti ſumus, ut nemo fere mortalium per longum tempus integra valetudine fruitur. Nonnulli, quidem, et graviſſimi morbi, majorum vitio originem duxerunt, nonnulli noſtrum, multi autem inevitabiles jure putantur.

Natura, ad opus amatiſſimum hominem perficiendum nimis anxia, fabricae formoſae func-

tiones

tiones varios, aeque ac insignes, praebuit, ita et malis quibus necessariò moriendum est, eum patefecit.

Magis complicata structura magis in confusionem proclivis est; in humano autem corpore, cujus functiones non solum mechanicis, sed etiam chymicis legibus, et animi affectibus parent, alias magnasque erroris causas videmus, quae merae machinae minime nocent.

His praevenientibus occurrere morbis, vel praesentibus obstare, est medici; et quamvis rite uniuscujusque curationem illum habere oportet, tamen nonnulli sunt qui propter naturam malignam, vel propagandi facultatem qua pollent, majorem etiam attentionem sibi vindicant.

Inter hos est Scarlatina, haud minus vulgaris, quam periculosa, et quae orta, noxiam suam contagionem in omnibus generibus rapide spargit: hoc igitur dissertationis meae argumentum selegi.

HISTORIA.

HISTORIA.

Hic morbus in Hiſpania primum obſervatus eſt, ubi, ſeculo ſeptendecimo nondum elapſo, ſumma cum malignitate ſeſe coepit oſtendere. Haud multo poſt Sennertius Saxoniae Electoris medicus, cum ea regione obſervaſet, accuratiſſime illum deſcripſit.

Anno 1689, morbum epidemicum multâ cum ſtrage vulgaſſe videbat Morton, qui, etiamſi pro ſpecie Rubeolarum ab illo haberetur, nil niſi Scarlatina fuiſſe videtur.

Anno 1739, iterum epidemice Londini graſſabatur, et ab illo tempore in omni fere parte hujus regni ſeſe oſtendit, multiſque auctoribus deſcripta eſt.

Ex ſcriptis autem horum auctorum, variis temporibus, varias formas induiſſe morbum, nunc in putredinem, nunc in inflammationem tendiſſe iter, uno tempore, eruptionem gutture haud læſo late ſerpſiſſe, alio, nulla eruptione comitante, guttur ſe maxime exulceratum oſtendiſſe, inveniemus. Medici igitur his mutationibus falſi, naturæ quaſi alienæ, aſpectûs vel gradûs differentiam tribuerunt, et unum tantum morbum ſub diverſis nominibus deſcripſerunt. Nunc autem Scarlatinam, Scarlatinam Anginoſam, Anginamque Malignam, varietates, ſeu modificationes ejuſdem eſſe morbi, et eadem contagione peculiari oriri, omnes fere credunt.

Withering, qui de Scarlatina forſan optime tractavit, diſcrimen aliquid extitiſſe ſibi perſuaſum habebat; ita ut tabulam notas quibus diſtinguerentur exhibentem inſtruxiſſet; cito autem hanc opinionem fugit.

Huxham etiam de Cynanche Maligna differens, eruptionem igneam comitantem præcipue notat, et

his

his verbis utitur, "Indeed it very much resem-"bled those scarlet fevers described by Morton "and others." Ad sententiam supra traditam confirmandam, multum quoque opitulatus est cel. Cullen, nam in omnibus fere hujus morbi exemplis quos vidit, guttur exulceratum fuisse asseruit. Nunc quidem ex testimoniis Drm. FORDYCE *, WITHERING †, CLARK ‡, SIMS ||, JOHNSTON §, GREGORY ¶, BLACKBURN **, aliorumque accipimus, nullum discrimen, nisi quod ætas, sexus, et causæ minus evidentes, contulerunt, unquam stetisse.

HISTORIA

---

* On Fevers.

† Account of the Scarlet Fever and Sore Throat.

‡ On Fevers.

|| Memoirs of the London Med. Soc. Vol. 1, 2.

§ Ibid. Vol. iii.

¶ Lectures.

** On the Scarlet Fever.

HISTORIA MEDICA.

Languor, laſſitudo, motus averſatio, animique dejectio, morbi quam perſequimur impetum docent, his, caloris et frigoris frequentes reditus, calore tandem permanente ſuperveniunt. Caput maxime dolet, nauſea vomitusſve urget, ſæpe diarrhœa. Haud multo poſt muſculorum cervicis regiditas, unà cum deglutitione difficili ſentitur. Reſpiratio crebra, ſuſpiriis fracta, et inquietudo magna vexant. Inſpectis faucibus tonſillæ et uvula haud leviter humidæ, et coccineo cum colore, conſpiciuntur. Lingua, niſi in media ejus parte, ubi alba vel fuſca eſt, ruberrima videtur.

Veſperem verſus hæc omnia ſymptomata ingraveſcunt : calor urget intenſus ; anhelitus fit calidus atque urens ; pulſus celer, parvus, debilis,

nonnunquam

nonnunquam plenus, et validus, evadit; in infantibus delirium haud raro ſubſequitur.

Tertium circa, quartumve diem, vel citius, maculae cinerei coloris tonſillas, velum et uvulam diſtinguentes, ſaepius autem in angulo uvulam inter et palatum delitescentes, conſpiciuntur; nonnunquam etiam oeſophagum, tracheam, nareſque, occupant*.

Eodem fere tempore, rubor floridus cedens digitis, ſed cito revertens, primum in faciem, collum, et thoracem, poſtea in reliquum corpus, comparet. Interdum vero exteriorem carpi ſuperficiem tantum aggreditur†.

Haec efflorescentia nonnunquam eryſipelatoſa, nonnunquam puſtuloſa, videtur; puſtulae pleriſque exemplis, non niſi tactu poſſunt diſtingui.

Variat

* Heberden, Commentaria.

† Ibid.

Variat quoque eruptio quod ad tempus quo ſeſe oſtendit, interdum celerius, interdum tardius, quo citius tamen ſupervenit, eo pejor futurus eſt morbus. Dr Heberden * eam inſigniter auctam ſine fructu, imminutam ſine detrimento, adnotavit; et etiam puſtulas hic illic ſparſas morbillorum ſpeciem ſatis accurate gerentes.

Per totum morbi decurſum, pulſus fere celer, et debilis, interdum autem ſub initio validus, et plenus eſt. Interdum tam arcte redditur urina, ut oriatur neceſſitas eam arte ſubtrahendi † Saepe naturalis eſt, ſaepius autem adeo variat, ut inſpicienti nihil utilitatis conferat.

Acer humor e naribus et faucibus interdum profluit, et partes quâ iter eſt multum erodit. Nonnunquam diarrhoea primo morbi impetu infantibus

---

* Hederden, Commentaria.

† Clark on fevers.

ſantibus adoritur, quos, ad ejus terminationem, quam maxime vexat. Saepius autem aetate adulta, alvus adſtringitur.

Interdum manus rigent, tument, dolent; interdum tument etiam glandulae ſubmaxillares, plerumque autem reſolvuntur, et raro in ſuppurationem abeunt.

Pedum digitis, quoque in plantis interdum ſubortae ſunt veſicae, viſcidam flavam materiam puris inſtar continentes, quibus ruptis ulcerationes ſequuntur.

Saepiſſime morbo decedente variae hydropis ſpecies oriuntur, nec deſunt exempla, quibus, febre omnino deceſſa, illae mortem attulerunt; ſaepius autem, remediis idoneis adhibitis, brevi ſanantur.

Pleriſque in exemplis talem decurſum tenet morbus, et ſextum inter et nonum diem, ſudore erumpente, exitum fauſtum habet. Cutis calor,

et arteriarum pulſus, imminuuntur. Eruptio pallidior fit, vel fuſca. Cuticula in ſquamulas furfuraceas decedit; et appetitu redeunte, ad priſtinam vigorem aegri gradatim reducuntur.

Formam jam memoratam plerumque induit Scarlatina, nimis autem frequenter omnino diverſam ſeſe habet, et uſque ab initio ſumma cum debilitate ſtipatur.

His exemplis pulſus celerrimus, debilis, abnormis, vixque enumerandus, evadit. Crebra et ardua fit reſpiratio. Mens anxia dejicitur, et paucis horis elapſis, in delirium incidit. Primo vel ſecundo die obſervatur eruptio, qua tamen abſente, aegri tertio moriuntur.

Nonnullis autem exemplis, quibus non ita celer eſt terminus; perſtat pulſus, parvus, debilis, abnormis; cuti aridae ſquamae; linguae manent durities, et fuſcitas ſiticuloſa; languent oculi ſuffuſi; et etiam per ſex hebdomadas* ſtatum hunc

* Withering.

hunc miſerrimum ploraverunt aegri, donec prae-mera debilitate animam efflaverunt.

Haud raro alias agnoſcit varietates morbus, quibus cutis neque arida, nec calida eſt, ſudore autem viſcido obtegitur, purpureaque effloreſcit. Diarrhoea etiam, quâ dejectiones nigrae foetidiſſimae conſpiciuntur, plerumque adeſt.

Aegri, hoc modo laborantes, in ſtuporem incidunt; faeces, et urina, inſciae redduntur; anhelitus faetet; corpus cadaver olet; et vita demum exhauſta, fato quieſcit.

Notatu dignum eſt, in nonnullis hujuſmodi exemplis, gutturis nullam fuiſſe noxam, pleriſque autem, maculas nigras illum obſidentes conſpectas. In omnibus fere eruptio, ſecundo, tertiove, die ſeſe oſtendit, irregularis autem; interdum cum petechiis hinc et illic ſparſis.

Morbum tam graviorem quam mitiorem deſcripſiſſe nunc mihi videor; varia autem ſympto-

mata

mata abnormia ſeſe noſtris monſtraverunt oculis; de his, quum Scarlatinae minime propriae ſint, non eſt meum diſſerere.

DIAGNOSIS.

Quum id ſatis compertum habeamus, Scarlatinam inter, Scarlatinam Anginoſam, Anginamque malignam nullum proprium eſſe diſcrimen; harum diagnoſin ſtabilare ſupervacuum foret. Quod ad medendi rationem, interdum utilem eſſe diſcretionem confiteor; de hac, autem, hic locus non eſt dicendi.

Anginae Tonſillariae eorum quibus infirmum eſt corpus, arteriarum ictus haud raro minuuntur, eo modo, quo in Febre Typho inveniuntur; maculiſque faedantur tonſillae.

His exemplis, niſi adſit eruptio, hunc inter morbum atque Scarlatinam haud facile erit dignoſcere; fere autem hujus, quam illius, ſymptomata magis ingraveſcunt, et ſi corripiatur aliquis

rigore,

rigore, horrore, anxietate, nausea, vomituve, capitis, praecipue posterioris, dolore, faucumque exulcerationibus; hunc Scarlatinâ laborantem concludere fas sit, hocque magis si ad contagionem morbus possit referri.

Adsunt *Morbillis* symptomata catarrhalia, Scarlatinae desunt. Morbillorum eruptio ex papulis discretis constat, inter quas naturalis color conspicitur; in Scarlatina autem coëunt papulae, et universam cutem plerumque occupant.

Eruptionis color minus vividus, epigastrii pressi dolor, et phlegmones ei proprii, *Variolam* inter et Scarlatinam, satis latum figunt limitem.

Ab infantium *Apthis* Scarlatina his notis distinguitur, quod in illis, linguæ margines, labia, gingivas; in hac autem fauces, velum, et uvulam, occupant apthæ.

Erysipelas unam tantùm partem corporis aggreditur, et faucibus rarissime nocet; hanc igitur inter et Scarlatinam discretio obvia est.

CAUSAE

CAUSAE PRAEDISPONENTES.

Omnia quæ vires frangunt corpus in hunc morbum proclive reddere putantur: hoc in numero ſunt, diæta parca, parumve nutriens, vita ſedentaria; intemperantia; dolor; anxietas; hiſque ſimilia. Impuberes ob debilem corporum ſtructuram Scarlatinæ maxime patent; notatu autem dignum eſt eos, qui admodum infantiles ſunt, præcipue dum mammam petunt, hoc morbo rariſſime corumpi. Res forſan pendeat ab hoc, quod infantes gremio in materno, vel in cunabulis jacentes, nec portas tranſeuntes, cauſæ morbi excitanti parum objiciuntur.

An bis per vitæ decurſum Scarlatina aliquem afficiat, inter medicos multum disputatur. Cenſent Drs. Clark * et Currie †, et alii id fieri non

---

* On Fevers. † Medical Reports.

non poſſe: HEBERDEN*, autem, BLACKBURN†, et GREGORY‡, ſe vidiſſe idem corpus ſemel iterumque hoc morbo laborare contendunt. Ex his, quanquam diverſis ſententiis, concludere fas eſt, rem ſaltem rariſſimam evenire, atque cauſam prædiſponentem multo majorem eſſe in iis qui nunquam, quam qui ſemel, morbo correpti fuerunt.

CAUSA EXCITANS.

CAUSA hujus morbi excitans haud dubie eſt contagium peculiare, vel materies contagioſa, corpore ſimili modo affecto, effluens: hujus autem quæ ſit natura chemica, vel quibus viribus effectos adeo mirabiles in corpore edat, me judice, omnino ignoramus. Alii cenſent contagium

---

* Commentaria. † On the Scarlet Fever.

‡ Lectures.

gium febrile una cum ſaliva in ventriculum eſſe receptum, atque hujus viſceris nervos primum adoriri—alii, et opinio forſan veriſimilior eſt, venenum pulmonibus inhalari et ſanguinem per eas tranſeuntem, quaſi vitæ ipſiſſimum fontem, corrumpere contendunt. Multa et ingenioſiſſima argumenta, his et illis prolata ſunt; hæc autem enumerare, vel queſtionem amplius perſequi hujus tentaminis limites me non ſinunt: magis juvat, et longe erit utilius ea quæ expertus eſt D. Blackburn *, ſtrictim tradere. Accuratus ille vir obſervavit limites ultra quos Scarlatinæ contagium innocuum fit arctiſſimos eſſe, et haud tres, quatuorve paſſus e corpore contagioſo tranſire. Quid etiam magni momenti eſt, oſtendit corpus Scarlatinâ correptum, non ſolum dum adſit morbus, ſed etiam ad decimam minime diem, vel diutius, poſt ejus fugam, contagioſum perſtare, et morbi propagandi vires retinere.

PROGNOSIS

* On the Scarlet Fever.

PROGNOSIS.

Haec a forma, quam induit morbus, fauciumque conditione, multum pendit. Magnae, fuſcae, nigraeve, maculae, tonſillas, uvulam, et velum obſidentes, non ſolum periculum indicant, ſed idem faciunt. De prognoſi differens ſic adnotavit, Dr Heberden, "Inſpectis faucium cruſtis, "conjectura quidem fieri poteſt de periculo aegri, "quod eo majus erit, quo latius illae manent, "quo altius carnibus inſideant, quo haerent per-"tinacius, quo ſaepius, renaſcuntur, et magis ad "gangraenam ſpectant." Et dicit ſe pueri cadaver incidiſſe ſexto morbi die extinctum, cujus velum pendulum palati, plane putre erat.*

Magna virium proſtratio, pulſus frequens et debilis, anxietas ſumma, dolor capitis immanis, cum nauſea, vomitu, aut diarrhoea, morbi peri-

* Commentaria.

culosi impetum docent. Delirium cito comparens et perdurans, collum tumidum, oculi languidi suffusi, et respiratio fracta, infaustum eventum denunciant. Si autem medicamentis idoneis adhibitis symptomata non allevantur, si superveniunt tendinum subsultus, evacuationes profusae, insciae, atque coma, mortem instantem concludere fas est.

Quum autem pulsus nec maxime frequens est, nec debilis, neque guttur multum exulceratum conspicitur, sudore autem erumpenti, febris fit mitior, eruptioque pallidior, eventus faustus jure expectandus est.

Adnotavit Dr HEBERDEN*, se vidisse in iis qui hoc morbo perituri sunt, circa quintum septemve diem, torporem aut difficultatem spirandi oriri, et cum hac interdum sputa cruenta, licet pulmones antea integri fuerunt.

MEDENDI

* Commentaria.

MEDENDI RATIO.

Adeo varia eſt Scarlatina, ut ullum methodum medendi qui omnibus ejus exemplis omnino conveniat, proponere haud poſſum. Interdum tam mitis eſt, ut nulla remedia poſtulat; interdum tam gravis, ut omnia vincat. Nunc formam induit phlogiſticàm, nunc plane putridam; atque ſecundum ejus variationes, varianda ſunt etiam remedia. Nihil magis abſurdum, ut mihi videtur, quam nomen tantum morbi reſpicere, dum adverſus eum medicinam adhibemus. Aetate, ſexu, corporis habitu, et multis aliis cauſis, morbi fere omnes adeo mutantur, ut diverſis corporibus, vel eodem, diverſis temporibus, curationem haud parum diverſam poſtulent.

His praemonitis, remedia Scarlatinae curationi inſerventia, in duas claſſes dividere, progredior.

1*mo*, Quae morbum ſubito et primo ſuo impetu nonnunquam fugant.

2*do*, Quae debilitati obviam eunt, vel ſymptomata acerbiora ſublevant.

Emetica.—Inter remedia ad febrem depellandam uſitata, emetica longe efficaciſſima habentur; ſi in primo morbi ſtadio adhibita ſint, decurſum ejus haud raro frangunt, vel prorſus ſiſtunt.

Unde hoc bonum, inter medicos nondum ſatis conſtat. Nonnulli auctores, corpus humanum aſſociationis legibus parere, atque febrem nihil aliud eſſe quam morbidam catenationem, exiſtimantes, emetica morbum pellere hanc catenationem frangendo contendunt. Alii qui cauſam febris proximam in ſpaſmo ponunt, vi antiſpaſmodicâ eadem pollere putant.

An autem febris vel a ſpaſmo, vel morbida catenatione, pendeat, multum dubito; et non poſſum quin putem hanc multo magis pendere

a

a ſtatu aliquo peculiari vel ſanguinis, vel generis nervoſi, vel utriuſque de quo adhuc omnino ignoramus.

Emetica, ut videtur, corpus multum commovent, unde, forſan, vires vitales, excitantur, et cauſa morbifica, qualiſcunque ſit vel ſuperatur vel corpore ejicitur. Forſan quoque ſanguinis motum per totum corpus aequalem producunt. Juvat etiam emetica adhibere ex hoc, quod, febre incipiente, ventriculi, ac reliqui corporis, functiones multum turbantur: cibus igitur eo incluſus difficillime vel non amplius concoquitur, et nauſeam et inquietudinem excitat.

Modo hoc communi, ut mihi videtur, proſunt emetica Scarlatinae, atque quo citius adhibeantur, eo melius morbum abrumpendi erit ſpes.

Withering* qui multos hoc morbo laborantes feliciter curavit, non ſolum in primo, ſed in

* On the Scarlet Fever and Sore Throat.

in omni morbi ſtadio, iterum iterumque emetica adhibuit; WILLAN * etiam ſimilem curationem, ſimili cum fructu, tentavit.

Nihil habeo ex propria experientia quod huic methodo objiciam; alii autem et fide digni, uſum emeticorum iteratum non ſolum non ſequi tantum commodi, ſed multum incommodi plane obſervaverunt. Quod ſi ſordibus in ventriculo collectis ſuperveniat nauſea, conſentiunt omnes, emetica optimum eſſe praeſidium, ad quod confugiendum.

Affuſio Frigida—Licet ab antiquiſſimis temporibus, et ab ipſo medicinae patre HIPPOCRATE † etiam, laudatus; uſus tamen aquae frigidae, vel interne, vel externe, per multa ſecula omnino fere neglectus eſt. Paucis annis elapſis, ad hoc utiliſſimum remedium medicorum attentionem revocavit Dr CURRIE ‡; atque ejus, praecipue in

* Reports on the Diſeaſes of London.

† De Internis Affectionibus, tom. 7. cap. 41.

‡ Medical Reports.

in febribus, praeſtantiam, multis experimentis ingenioſiſſimis ac argumentis illuſtravit.

Solet hic medicus expertus in corporis, vel Typho, vel Scarlatinâ, laborantis, ſuperficiem, aquam frigidam ſubito, et ex alto, perfundere; quo facto, et aegro in lecto collocato, pulſus arteriarum minus fiunt frequentes; calor minuitur; et ſomnus levis plerumque ſubſequitur.

Primis febris diebus, hujus ſola affuſionis applicatio ſaepius iterata, nullo alio remedio adhibito, Scarlatinam ſemper fere fugat; et per totum morbi decurſum quoties calor perſtat major gradu naturali, ſymptomata multum ſublevat.

Aqua frigida hoc modo, ac tempeſtive adhita omnino vacat periculo; monet, autem Dr Currie * ut eadem minime utamur quando ſudor adſit, vel copioſe effluxerit, vel quando ſymp-

tomata

---

* Medical Reports.

tomata catarrhalia urgeant, etiamſi corporis calor magnopere auctus ſit.

Pars hujus monitionis poſterior, forſan, ſupervacua eſt, nam multis typho et catarrho eodem tempore laborantibus, affuſionem frigidam, non ſolum ſine incommodo, ſed multo cum fructu, applicatum vidi.

Affuſio Tepida.—Haec in ſtadiis morbi poſterioribus ubi vires franguntur, vel ubi adſunt ſymptomata catarrhalia praecipue convenit; atque ut hujus remedii praeſtantia omnibus pateat; exemplum quod nuper mihi occaſio fuit videndi narrabo.

Puer tridecem annos natus, qui per quinque dies Scarlatina domi laboraverat in noſocomio noſtro tandem ſuccubuit. Symptomata ita infauſta erant ut ſpem omnino fere praecluderent. Labia, lingua, atque fauces, nigerrimae, tumidae, et ſordibus obtectae, conſpiciebantur. Cutis calida erat, ſicca, et ruberrima; pulſus celer, atque debilis;

bilis; et quasi somno obrutus stupebat aeger. Vinum atque alia remedia assidue, sine autem fructu, adhibebantur, et per noctem, diemque sequentem statu eodem miserrimo ille jacebat. Sole cadente, lectoque relicto, in corporis superficiem aqua tepida affundebatur, atque statim animus revertebat, calor brevi minuebatur et remedio saepius iterato aeger ad sanitiam reducebatur.

Hae aquarum affusiones, quibus utilius in febribus nullum alium remedium unquam extitit, commodum notatu dignum etiam habent, nempe, quod pauperi ac diviti aeque patent, et omnibus, omnique tempore, et loco, facile possunt obtineri. Interdum autem, quod maxime dolendum est, in aedibus privatis aegri amicorum praejudicia huic curationi pertinaciter obstant; nec medici argumenta praevalent eadem summovere. Si res ita sit, affusionibus omissis, ad partis, vel totius corporis lavationem statim confugiendum est, quae indoctis non ita repugnat, ac multum commodi etiam ostendit.

Cathartica.— Scarlatinae ac aliis pyrexiis cathartica vel laxantia, haud mediocriter profunt. Faeces in inteftinis per longum tempus inclufae, corpus magnopere irritant et febricanti praecipue nocent. In primis hujus morbi diebus, cathartica mitiora, vel injectiones, quotidie funt adhibenda, et ter quaterve in feptimana per reliquum ejus decurfum. Interdum autem, praecipue in infantibus, urget diarrhoea, quae, nifi ex caufa aliqua irritante in canali alimentario oriatur, quam primum eft cohibenda; nam vires frangit, et aegros multum perturbat.

Remedia huic confilio infervientia funt praeparationes è creta, Kino, Catechu, Opium, et fimilia. Quod fi licet fufpicari aliquam materiam irritantem diarrhoeam inducere; diluentia, vel laxantia, primum, et aftringentia poftea, tantum funt ufurpanda.

Diaphoretica.—De diaphoreticorum ufu inter fe medici omnino difcrepant atque ex eorum diverfis fententiis nihil utilitatis poteft deduci; nifi quod hinc

hinc certiores ſimus morbum diverſis temporibus vel diverſis hominibus fuiſſe diverſum, atque remedia nunc aegris prodeſſe, nunc nocere.

Ubi calor multum augetur, atque aridá, et ſicca, perſtat cutis, et ſplendide rubet, diaphoreſin excitare utiliſſimum eſt. In nonnullis aùtem exemplis cutis neque ſicca, nec calida eſt, ſudore autem viſcido obtecta: atque huic morbi formàe diaphoretica, ſi acida forſan excipiamus, parum conveniunt.

Epiſpaſtica.—Haud magis de epiſpaſticis, quam diaphoreticis, conſentiunt auctores. Putat Withering * ullum commodi eadem rariſſime cotuliſſe; dum ſic adnotavit Dr Heberden. "Emplaſtra cantharidis non mediocritur proſunt; idioque illis carere aeger non debet, donec morbus, (Angina nempe) inclinatus ſit." Si pulmones, aliave viſcera, inflammatione corripiantur; ſi

* Account of the Scarlet Fever, &c.

† Commentaria.

ſi fauces tumidae fiunt et dolorificae ; vel ſi caput maxime dolet ; veſicatoria optima fiunt remedia ad qua confugienda. Haec autem applicare prae mera cauſa flammam vitae morientem excitandi, ut mihi videtur, crudele et ſupervacuum eſt. In tantis debilitatis exemplis, cyathum vini generoſi calidi ſubinde datum, epiſpaſticis longi anteponendum eſt, et ad vires vitales revocandas nonunquam pollet.

Tonica.—Timentes debilitatem quæ Scarlatinam interdum comitatur, medici primum quam morbus ſeſe oſtendit, Cinchonam, Vinum, et alia tonica, larga manu adhibere ſolent. Nonnullis exemplis hæc methodus, forſan, optima, multis autem ut mihi videtur, nec optima neque bona eſt. Debilitatem temendam eſſe et omnibus modis præcavendam nemo quidem dubitat ; hæc autem multum pendere videtur, ab illa excitatione vehementi qua morbus primum ſtipatur : atque ſi hanc poſſumus compeſcere illam etiam pro rata parte levabimus. His conceſſis concludere licet, Vinum, Cinchonam, atque alia ſtimulantia,

lantia, vel tonica, ſub primo febris impetu adhibita, ægris plerumque nocere. Multo magis utiles ſunt, tunc temporis, affuſiones frigidae, acida, et quae cordis et arteriarum actionem minuunt, vel corporis calorem, atque irritationem, ſublevant. Quod ſi morbus magna cum debilitate incipit, neceſſe ſit ut ad remedia jam repudiata ſtatim confugiamus; quæ, primo febris impetu elapſo, omnibus aliis anteponenda ſunt.

Gargariſmata—Quum faucium exulcerationes, et gangræna, multis hoc morbo laborantibus, mortem attulerint, res magni momenti eſt ut os internum diligenter adſpiciamus, atque ejuſdem vitio omnibus viribus oppugnamus. Remedia huic conſilio convenientia ſunt gargariſmata, quorum diverſa, diverſis medicis uſurpantur. Unum ex acido muriatico oxygenato confectum, nuper haud parum laudatum fuit; atque ob theoriam quæ Scarlatinam a ſtatu corporis deoxygenato vult pendere *, vel ſaltem tali conditione ſtipari, hoc acidum etiam interne adhibitur.

An

* Reich on Fever.

An inopia oxygenii vera, respiratione naturaliter durante, in hoc ullove alio morbo unquam extat, vel morbum gignit, multum dubito; neque constat an acida oxygenio tribuendo febribus prosunt, an leniter stimulando. De talibus autem questionibus, hic locus non est disputandi; atque insuper remedium usurpatum confiteor me nunquam vidisse.

Decoctum Cinchonae cum Acido sulphurico, Infusum rosarum, et similia, gutturi praesidio saepe usurpantur. Quod si maculae diutius manent, et partes lividae fiunt, vel nigrae, gargarismata magis stimulantia requiruntur; quae etiam in fauces infantium per fistulam infundi debent, curâ adhibitâ ni sordes ablutae in ventriculum descendant.

Secundum Heberden omnis alia faucium curatio praeter gargarismata est repudianda; alii autem medici de hac re aliter sentiunt, atque mellis vel simplicis, vel stimulantibus conjuncti usum suadent. Nihil habeo omnino quod huic vel illi opinioni

opinioni objiciam nam gargarifmata fola funt ea quae ufurpata ipfe vidi.

Credo me jam enumeraffe remedia quae Scarlatinae praecipue conveniunt. Haec autem diverfis morbi exemplis accommodare, judicio, et obfervatione haud parva opus eft. De venefectione nihil dixi, quia putavi eandem haud unquam neceffariam effe. Faucibus tumidis, vel capiti dolenti, hirudines aut cucurbitulae cruentae infigniter profunt et forfan periculo vacantur.

Priufquam hanc differtationem ad finem perducam, licet et pauca de hydrargyri ufu hoc morbo curando adjiciam. Remedia in India Orientali ufurpatum fuiffe in praelectionibus fuis advotavit cl. Gregory, atque audivi eundem fructu haud parvo a nonnullis hac infula medicis ufurpari. Sub muriatis hydrargyri, et oxydi antimonii cum phofphate calcis, partes aequales, quam cito poft morbi initium adhibentur, et confilium eft falivationem lenem quam cito excitare. Occafio

nunquam

nunquam mihi fuit hanc curationem videndi; ex teſtimoniis autem aliorum, adducor ut credam eandem virtutibus minime carere.

DE HYDROPE.

SCARLATINÆ, ut antea diximus, haud raro ſuperveniunt tumores hydropicae; nec deſunt exempla quibus mortem attulerunt. Vaſa magnopere, et per longum tempus, excitata, febre deceſſa, ſubito relaxantur et in torporem incidunt; hinc ſanguinis ſerum per eas tranſudit, ſtagnat, et hydropem veram gignit. Interdum abdomen thoracem vel etiam caput occupant aquae; frequentius autem manus et pedes. In exemplo quod ipſe nuper vidi, totum corpus vel externe, vel interne, tumidum fuit; et ſymptomata hydrocephalica haud pauca adfuerunt.

Dieta nutriens et exercitatio modica hos tumores ſi leves ſint cito plerumque fugant; quod ſi diu manſerint, vel ſi partes internas illi infeſtant, non niſi diureticis iidem poſſunt ſubduci.

Adverſus

Adverſus hydropem hoc modo ortum fauſte adhibitur digitalis, et aliis diureticis, me judice, praeſtat. Seu autem digitalem, ſeu alia diuretica uti Hydrargyrum Scillàm maritimam, vel Sales neutros, adhibemus, vires eodem tempore tonicis ſunt reſtituendae, neqùe contemnendum tonicum iſtud Anglicum praeſtantiſſimum bovis caro, nam poſt febrem, ac multos alios morbos, cedit Epicuro Hippocrates.

FINIS.

Edinburgi—cum privilegio, apud ALEX. SMELLIE.